

Bibliothèque numérique

medic@

**Pluinet, Bernard-Nicolas - candidat /
Gourlez de la Motte, Jacques -
président. - An detur Dysenteria cui
Quina specificum ?**

1786.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi. viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°128



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0128](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0128)

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesima-prima
mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVI.

M. JACOBO GOURLEZ DE LA MOTTE, Doctore Medico,
Præside.

An detur Dysenteria cui Quina specificum?

I.

ARTEM medicam promovêre primi, qui morbos attentè dum perpende-
rent, tum ea quæ præcessissent, tum ea quæ simul inciderent sedulò annota-
runt. At illorum mens anceps fluctuavit, ubi, eodem fermè *παύμενον* prodeunte
circulo, ob difficile captu signum, morbis è diversis fontibus ortis diversa quo-
que medela esset necessaria. Cui quidem superando obici summam adhibuerunt
diligentiam incredibilemque industriam. Artem igitur ne deterant recentiores
Medici, veterum vestigiis insistentes eundem in eâ excolendâ exercendâque
animum afferant. Qui Clinices limen salutis eò majore utatur cautelâ, quò faci-
lius generaliori morbi descriptione delusus, neglectoque à quo pendere deberet
curatio vix detegendo discrimine, à rectâ viâ deflesteret. Quod illustrare exem-
plo lubet. Dysenteriam rectè dicunt frequentem humorum cum vel absque san-
guine dejectionem torminibus & tenesmo stipatam: verum, ni quod morbo præ-
buerit ansam, ni quod illum foveat in propatulo adsint, licet ad sanguineam
dejectionem, licet ad tenesmum torminaque attendat junior Clinicus, ei vix
certior veniet curatio, quam si prorsus ignotus esset morbus. Contra verò, si à
suppresso quodam sanguineo fluxu, vel à cohibitâ perspiratione, præsertim dum,
hieme perdurante vel incipiente vere, afflat Boreas, morbum sciat ortum, an
plethoræ & inflammatoriæ febris signa possit dignoscere diligenter curet; quæ si
adsint, celebratâ venæ sectione, emollientibus & lenioribus antiphlogisticis mor-
bus sedandus, quo tantum declinante, purgationes eccoproticis summâ cum pru-
dentiâ tentandæ. Si verò præcesserit alimentorum aceptorum usus vel eupepto-
rum abusus, si à quodam tempore malè concoxerit ægrotus; tunc num turgeat
in primis viis humor inquirendum, qui quidem vomitoriis primò eliminandus
est, dein catharticis, præsertim rheo admixtis quo ventriculi & intestinorum debi-
litati succurratur. Haud rarò intestina, quorum adaucta irritabilitas, vellicant

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

humores præsertimque bilis acri putredine tentati, quod accidit vel ob nimium cœli calorem vel ob vehementius exercitium vel alias ob causas, quibus sæpe in castris nosocomisque sese comitem adjungit venenum è stercorebus contagio receptum: putridam acridinem arguunt virium prostratio ingens febrilisque calor absque inflammatione. Lenientibus tunc cathartica immisceantur, ita ut illis mater es proritans mulceatur, his verò expellatur. At generaliores illas indicationes aliasque ab authoribus propositas etsi calleat junior Medicus, illi præterea ratio adhibenda est tum variæ idiosyncrasiae, tum morborum qui dysenteriae accedere possunt.

I I.

QUID QUID attentionis attulerit Clinicus in perlegendis qui de Dysenteria speciatim scripsere authoribus, ipsorumque præceptis in praxim trahendis, quandoque ipsum non penes erit instantem mortem arcere. Sæpius enim fit ut à causâ ab illis authoribus prætermittâ Dysenteria producat, cui causæ subigendæ ab ipsis prædicata auxilia imparia essent. Cancrum Sol tetigit; Syrius ardet; paludum aquæ divaporant, exsiccantur earum ripæ; putrescentibus autem è stipitibus animalculorumque cadaveribus coenosaque ex aquâ insigni cum foetore venenata erumpunt effluvia, quæ benefico dispergi vento foret saluberrimum; verum ea coercent montium series, vel antiquarum sylvarum frondes; patulos igitur diurnum ob fervorem cutis poros pulmonesque ingrediuntur illa putrida miasmata, sæpius per noctem cum perspirabili humore intus coacta (a). Remittentes intermittentesque febres præsertim tertianæ grassantur & pro majori miasmatum malignitate atrocius sæviunt. Levem diarrhæam excipiunt tormina tenesmusque, alvinas defectiones distinguit sanguis, mox ardet febris, quæ vicissim simulac dysenterica symptomata consopitur & expergitur, vel tertianæ adstricta periodicis, vel regularem præ se ferens modum: aliàs febris excautescentiam antecit horror, sequitur sudor, aliàs nec sudorem nec horrorem est deprehendere: rarò vera observatur remittentia. Quandoque præcessit febris intermittens, quæ remittens facta Dysenteriae nostræ præbuit ansam.

I I I.

QUONAM modo prædicta miasmata Dysenteriam mox descriptam simul & febres intermittentes gignere queant periculosius esset & longius quaesitu & expositu. Miasmatum igitur tantum putredine consideratâ, ea multas strages, diversis prodeuntibus symptomatibus, edere erit animadvertendum. Nunc peripneumoniam, pleuritidis-ve signa deprehendas; tussim molestant, angustam respirationem, dolorem lateris pungentem, pulsum durum, nihil deest, ne sanguini misso crusta quidem pleuritica (b). Aliò plus minus-ve impeditis animalibus functionibus ægrum occupat coma, lethargus, apoplexia, vel etiam subversis illis functionibus delirium obscurum, vel phreniticum, tendinum subfultus. Intestina etiam & ventriculus quandoque afficiuntur, ægrotum igitur divexant cardialgia, vomitus enormes cum sanguine, cholera. Nullum quidem atrocius symptoma miasmatum illorum actio nequit adducere. Verum truculentam hanc causam,

(a) Præsertim qui in humilioribus locis vitam degunt, horumce miasmatum actioni magis obnoxii sunt, undè agricolas potius aggrediuntur febres intermittentes; cum hi sub humili tugurio somno & otio indulgeant; è contrâ tabulatis plus minus-ve altis erecti dormiunt urbium incolæ, undè rarius febribus istis tentantur.

(b) Crusta pleuritica inflammationem semper non arguit; nam quandoque reperitur in morbis neutiquam inflammatoriis: verum ubi in febribus remittentibus pleuritica adest; tunc timendum ne ob sanguinis crassam inflammatoriæ vicinam dolor febrilis symptomaticus partes vellicando inflammatoriâ inducat fluxionem.

3

eam ut possit debellare, quonam pacto dignoscere poterit Medicus? Istius quidem in suspicionem debet incidere, ubi præcessit summus æstus in udâ, paludosâ ventibusque beneficiis imperviâ regione, vel quâcumque aliâ ratione septico miasmatis ægrotus fuerit obnoxius. Suspicionem adaugent anomalibus cum symptomatibus remittentes morbi grassantes. Pathognomonica autem signa sunt alternæ præsentis morbi remissio & exacerbatio, exacerbationem præeuns horror, sudoribus adducta remissio. Urinas præsertim perspeculati sunt, qui de hujus profapiae morbis egerunt. Urinam sæpè sæpius subfusco fuisse donatam colore *Mercatus* observavit; rubram & turbidam *Morto*; sedimento refertam lateritio *Sydenhamius*; quamquidem ultimam, certissimum inter signa habuit *Franciscus-Josephus Lauter.* (c) — Similem causam Dysenteriae familia arguunt.

I V.

MONSPELIENSIS Professor nomine (d) *Restaurandus* horribilem remittentium morborum habitum stupens, comparatis horum febriumque intermittentium causis simul & perspectâ analogiâ, istos admoto Quinâ felici cum successu debellare conatus est; mox illius vestigiis insistere festinarunt *Sydenhamius*, *Morto*, *Torti*, *Werthoff*, *Huxham*, *Med. Vratislavienses*, qui quidem prædicarunt, vel hancce viam sequendam, vel ut sæpius agro moriendum esse. Reapse mali fontem putrida miasmata, hæc validiori illo antiseptico subigi necessarium, præterea morbis in illis atoniam inducere videtur spasmus, simili & atoniâ excipi: antispasmodica autem inter tonica primum obtinet Quina locum. Inter remittentes morbos annumerari debet nostra Dysenteria; eadem ipsi principia, eadem causa actualis, quam variâ sub larvâ latentem debellare potuit Quina: Quinâ igitur Dysenteria nostra profliganda. Instat gangræna (e), ei occurrendum, quibusnam Quinâ felicioribus remediis? Non ideo gangrænam jam præsentem expectes, multo tutior erit cura, si à principio admoveatur Quina, ne eo fortius malum factum sit. Hic multas de felici usu Quinæ in Dysenteria nostrâ possemus auctoritates promere: lat erit dixisse contra eam illo prosperè usum esse celeberrimum & peritissimum Medicum *Actus Præsidem*.

V.

AST, objicies, adstringente quâ pollet virtute in intestinorum glandulis nocivam materiam Quina coercebit, Dysenteriam ergò non sanabit.

Hæc erit responsio. 1°. Supposito quod per alvum materiam foras amandare necessum esset; omnibus notum est practicis alvi profluvia, Quinâ adhibito, in principio potius audaugeri, quam imminui, etiamque Quinam exiguâ commixtum cathartici cujuscumque dosi, plenam obtinere purgationem, cum cathartico-
rum virtutem adaugeat. 2°. Nedùm alvum ducendo Dysenteriam sanare sperarent, dum in eâ curandâ Quinam admovent practici, quò minus laxior esset alvus, Quinæ quandoque opium superaddiderunt. Expulsum quidem nimis citò Quinam specificam suam vim exerciturum non credebant. 3°. Denique in Dysenteria castrensi contagiosâ cum febris intermittens Dysenteriae sese jungeret, (qui casus à nostro morbo debet distingui), Quinam Dysenteriae laborantibus non nocere

(c) *Historia Morborum ruralium annis 1759 & 1771 Luxemburgensi in agro grassantium.*

(d) *In Opere cui titulus: Hippocrates de usu Quinæ.*

(e) Quoad usum Quinæ in gangrænâ Clinico perutilis habenda est distinctio gangrænæ, vel quæ metastasi miasmatis cujuscumque ad quamdam partem oritur, vel quæ inflammatorium morbum subsequitur: etenim in primo casu tonum partis confirmando simulque antiseptica vi miasma corrigendo haud parum confert utilitatis Quina; è contra in altero casu, ubi phlogosis gangrænam adduxit, partibus quæ phlogosi tantùm, non adhuc gangrænâ corripiuntur, novum impertit tonum, & sic gangrænam promovet.

4

confitetur expertus *Serack* (S); licet ille febrim non prius curari debere autumat, quam Dysenteriam cohibita.

Inflabis: Ut certo febris intermittens tollatur, saepius necessario adhibenda est Quinae larga dosis, hujus igitur larga tantum dosis dysenteriam vestram curabit: porro in febribus intermittentibus plenam manu Quina absumptum infarctus haud raro gignit. Si autem parum Quinae sumserit aeger vestram Dysenteriam laborans, non sanabitur, si magnam hujus vim voraverit, sequentur obstructions.

Quo reponendum: Mortem multo magis esse infarctibus pertimescendam. Nec deerit quidem illis medela: inter aperientia quae in hoc casu possunt adhiberi praestantissimum habet Clarissimus Praeses aperientium plantarum praesertim nasturtii succum cui addatur ammoniacum sal. — Ad referendas quae febris intermittenti Quina cohibita supervenerunt obstructions febrem reducem optimum esse remedium omnibus est confesso. Anomalibus autem symptomatibus Quina fugatis, morbi remittentes si recidivam patiantur, intermittens febris ut plurimum formam induunt & tunc periculo vacant. Porro balneum frigidum ad intermittentem febrem in hoc casu accersendam certissimum habet medium clarissimus Praeses.

Ergo datur Dysenteria cui Quina specificum.

(S) *Tentamen Medicum de Dysenteria*, pag. 82, 83.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Jacobus PAULET, Censor Regius, Academiae Regalis Medicae Socius, Scholasticarum Professor, pro annis 1787-9, designatus.

M. Sanctus-Ludovicus GUINDANT, Censor Regius, & Regiae Scientiarum Academiae Monspelienfis.

M. Claudius-Antonius CAILLE, & Societate Medica Edimburgensi.

M. Philippus-Alexander BACHER,

M. Claudius-Antonius GOUBELLY, Scholarum Professor designatus ad annos 1786-8, in Supremo Senatu Patronus.

M. Antonius-Laurentius DE JUSSIEU, Eques, Regi & Consiliis & Secretis, Regiae Scientiarum Academiae Socius, in Horto Regio Botanices Professor & Prodemonstrator.

M. Laurentius FERRET, Ecclesia Cameracensis Canonici.

M. Michael-Philippus BOUVART, Regii Ordinis Eques, Regiae Scientiarum Academiae Socius, Censor Regius.

M. Michael-Joseph. MAJAUET, antiquus Regis Exercituum in Germaniam Medicus.

Proponebat Parisiis, BERNARDUS-NICOLAUS PLUUNET, Parisinus, Universitatis Medicinae Monspelienfis Doctor, & Saluberrimae Facultatis Medicinae Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1786, AB OCTAVA AD MERIDIEM.

BIB. Santa
Medicine
Paris

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinae Typographi,
via dicta du Fouarre, 1786.